

potestatem, & πολυποικίλον sapientiam, in administranda hominum conversione, non leviter illustret: sicut animum advertenti perspicuè pater.

## S E C T I O X.

*An praecepta Dei cum voluntate ejusdem revera  
unquam pugnent.*

**P** Ag eâdem, *Thef. 29.* Quidquid Deus in verbo suo mandat, aut vetat, promittit, aut minatur, aut alia quavis ratione velle se testatur, id verè ac seriò ipsum velle omnino statuendum est. Absit enim, ut Deum *simulatorem* inducamus; aut minùs sincerè atque ingenuè nobiscum agere suspicemur: quasi qui aliud foris præcipiat, aut quovis modo significet, sed aliud intus occultet. Idem repetitur pag. 300. & 301. item p. 406. sub finem.

### N O T A P I S C A T O R I S.

Sanè statuendum 1. nobis est, Deum id velle à nobis fieri, quod nobis præcipit: itemque velle à nobis omitti, quod nobis vetat. Et tamen interim Deus sæpè diversum vult. Deus mandabat *Abrahamo* 2. ut immolaret filium. Itaque rectè fecit Abraham, quòd statuit, Deum id velle à se fieri, quodque deinde ad peragendum illud sese accinxit. Et tamen Deus nolebat, ut id Abraham faceret; quia id volebat impedire, atque etiam impedivit. Deus 3. vetuit *populo* suo, ne quem occiderent. Et tamen voluit, ut occiderent Christum, teste Petro *Actor. 2. v. 23.* Deus mandavit 4. *Pharaoni*, ut dimitteret populum Israëliticum. Et tamen noluit, ut eum dimitteret: quia volebat indurare cor ejus, ne dimitteret, atque etiam induravit. Quid ergo? An igitur dicemus, 5. aut suspicabimur, Deum esse *simulatorem*, seu *hypocritam*; aut minùs sincerè atque ingenuè nobiscum agere? Absit à nobis hæc *blasphemia*. Quin potiùs statuamus, & dicamus, id quod citra controversiam verum est, Deum quidquid agit, agere sanctè ac justè: etiamsi nos rationem 6. justitiæ illius judicio mentis nostræ non assequamur.

### R E S P O N S I O V O R S T I I.

I. Si certò nobis statuendum est, (prout te ipsum fatentem nunc au- NOTÆ PISCATORIS.  
divimus) Deum id velle semper à nobis fieri, quod nobis præcipit &c. 1) *Non dixi, discernendum, sed distinguendum, nempe*  
Cur igitur suprà *praeceptum* Dei ab ejusdem *voluntate* aliquando (1) se- *ut adjunctum à subjecto.*  
cernendum esse docuisti? Immò cur (2) idem non obscurè hîc subinde *Quæ sententia nō evertitur*  
repetis? Nam si tuo illo sensu hæc duo verè inter se diversa, seu potiùs *per id quod hîc dico.*  
2) *Nego: quia nusquam hîc utor verbo discernendi.*